



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XVI. De deposito, & culpa depositarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XVI.

De deposito, & culpa depositarii.

FLorianus in depositum accepit cistam continentem pecunias, & non nulla alia pretiosa à Flaviano sibi traditam, quam reponit in suo cubiculo clauso, non tamen in arca, in qua pecuniæ propriæ asservabantur; cùm autem Florianus non nunquam famulis suis aliàs semper fidelibus clavem cubiculi sui committeret, unus eorum oblatâ sibi opportuna occasione aliqua clam ex deposita cista surripuit. Post aliquod tempus Flavianus repetit & accipit depositum; sed dum ea lustrat, quæ in cista continebantur, deprehendit, non omnia inveniri.

QUÆR. I. Ex qua culpa teneatur depositarius deponenti, si res deposita apud ipsum pereat, vel deterior fiat?

QUÆR. II. An Florianus teneatur resarcire damnum Flaviano à famulo illatum?

QUÆR. III. An, & quando, cùm cista in custodiam tradita restituenda est, & non omnia in ea reposita inveniuntur, peti possit compensatio damni à deponente?

101 **A**Nte resolutionem hujus casus, notandum hîc est, duplicem esse culpam, Theologicam unam, & Juridicam alteram. Culpa Theologica, seu in foro interno, prout hîc sumitur, est peccatum formale contra justitiam, seu formalis injuria. Culpa Juridica, quâ scilicet aliquis in foro externo culpabilis evadit, & pœnæ subiacet, est voluntaria omisio debitæ diligentiae, ex qua

alteri provenit aliquod damnum, aut incommodum. Quòd si omisio talis diligentiae fuit theologicè peccaminosa, jam non est culpa merè Juridica, sed Juridica, & Theologica simul. Dividitur autem culpa Juridica in *latissimam, latiorè, latam, levem, levissimam*. Culpa *latissima* est, de qua prudenter dubitari non potest, quin animo nocendi admissa sit: Unde dolus apertus dicitur.

O 3

Læ

Lator dicitur dolus præsumptus, seu talis omiffio debitæ diligentia, ex qua licet non omnino manifestè colligatur malus nocendi animus, & dolus, is tamen rationabiliter præsumitur. *Lata* est omiffio diligentia, quam homines ejusdem conditionis & in talibus circumstantiis communiter adhibere solent. *Levis* est omiffio diligentia, quam homines solùm diligentiores, & cautiores adhibere solent; *Levissima* verò est omiffio diligentia, quam non nisi diligentissimi & cautissimi solent adhibere. Culpa Juridica sæpè cum Theologica levi, vel gravi conjuncta est, quando nempe liberè ex malitia, vel ex fragilitate, ignorantia, aut inadvertentia coram Deo culpabili debita cautela, & diligentia omittitur, & jus alienum inde violatur: unde culpa latissima semper, vel ferè semper, latior plerùmque, lata frequenter per se peccatum habet annexum, quia per se quis tenetur adhibere communem diligentiam, & cautelam, ne damnum proximo suo inferat, & jus illius lædat. Culpa levis rarò admodum, & rariùs levissima cum Theologica conjungitur; quia juxta communem sententiam cum S. Th. q. 1. de malo, a. 3. ordinariè nemo tenetur cautelam adhibere majorem eâ, quam communiter homines similis conditionis, & in similibus negotiis, ac circumstantiis adhibent, saltem extra contractum. Hoc notato.

Ad 1. Q. R. Depositarium ad præstandum damnum rei depositæ, si apud ipsum perit, vel deterior facta est, regulariter solùm teneri de dolo, & culpa lata. Ita communiter DD. Quòd teneatur de dolo, habetur l. 1. §. si quis servum, ff. ead. §. præterea 3. Inst. quib. mod. contrah. oblig. l. depositum 1. §. in conduct. 10.

Præsumitur autem dolus commissus, si rebus tuis propriis salvis, res aliena, quæ apud te deposita fuit, in eodem loco existens, amissa fuit, c. bona fides h. tit. ubi Gregor. IX. ait: bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti. Quòd verò teneatur de culpa lata, colligitur inde, quod hæc in contractibus (qualis est etiam depositum) æquiparetur dolo, l. quod Nerva, 32. ff. h. tit. Et ratio est, quia salva bona fide Depositarius nequit minorem diligentiam adhibere in rebus depositis, quàm adhibere quisque soleat in rebus suis propriis: atqui quis in rebus suis propriis adhibet diligentiam saltem communem: ergo etiam in rebus depositis, quam proin, si in his non adhibeat, latam culpam committit, & præsumitur non procedere bona fide, sed agere dolo malo, qui tunc præsumitur juxta citt. l. quod Nerva quando quis in rebus suis curandis diligens, in deposito negligens est; dolus autem malus obli-

obligat ante Judicis sententiam, antequam exactionem decepi, ut patet ex l. 23. ff. de R. J. & ex eo, quod qui alterum dolo circumvenit, eum injustè lædat; injusta autem læsio inducit obligationem restitutionis ante omnem Judicis sententiam, vel exactionem, uti patet ex alibi dictis, & tractatu de restitutione.

Dixi suprâ regulariter teneri Depositarium de dolo, & culpa lata; nam excipiuntur aliqui casus, in quibus etiam de culpa levi vel levissima tenetur; cujusmodi sunt.

1. Si inito pacto ita conventum fuit inter deponentem & depositarium, ut hic etiam de levi vel levissima culpa teneatur, quia contractus ex conventionem legem accipiunt, leg. depositum, 1. §. si convenit 6. ff. h. tit.
2. Si depositarius pro rei depositæ custodia mercedem accepit, quo in casu teneretur etiam de culpa levi, C. bona fides 2. h. tit. & l. depositum 1. §. si vestimenta, 8. eo quod tunc contractus diceretur in utriusque utilitatem celebratus.
3. Si quis ad depositum recipiendum se obtulit, citt. c. bona fides.
4. Si quis ad custodiendum teneatur ex officio, l. ait præter, 1. ff. nautæ & c. Ubi statutum est, ut Nautæ, Caupones, stabularii & c. præstare teneantur culpam etiam levissimam, si res à Viatore apud ipsos deponantur; idque ad fraudes horum hominum arcendas, & ad

consulendum securitati viatorum, & hospitem.

Excipitur tamen nisi ejusmodi homines præmonuerint, ut unusquisque res suas custodiat & earum curam ipsimet deponentes habeant, istique consenserint; tunc enim neque de levi culpa tenebuntur.

Pro foro tamen conscientie non teneri depositarium ex culpa merè Juridica, seu non conjuncta cum theologica, docent Lugo D. 8. f. 8. Rebuff. p. 2. l. 16. q. unic. n. 5. & seqq. Palao D. 3. p. 8. Laym. l. 3. § 5. rr. 4. cap. 25. n. 1. & alii. Moventur, tum leg. si sint, ff. depositi, ubi dicitur: si sine dolo malo rem depositam amiseris, nec depositi teneris; tum leg. si ut certo, §. nunc videndum, ff. commodati, ubi dicitur, interdum solum dolum, interdum & culpa præstamus dolum in deposito, nam quia nulla utilitas ejus vertatur apud quem deponitur, merito solus dolus præstatur, nisi forte & mora accesserit, tunc enim & culpa exhibetur. Et ratio est ipsa natura talis contractus ut ait Palao l. c. cum enim Depositarius nullum ex deposito commodum accipiat, sed onus custodiæ duntaxat suscipiat, censendus, ac præsumendus est, se tantum velle obligare ad depositum bona fide custodiendum, illudque reddendum, cum fuerit petitum; non autem præsumi potest, se velle astringere ad illud red-

den-

dendum, cum absque sua culpa & malitia perit. Conf. ex Lug. l. c. quia ejusmodi contrahentes nullo modo intendunt, se obligare ad restituendum pro casu merè fortuito, ut omnes inquit, fatentur; sed quando res aliena perit absque ulla culpa theologica, sed propter naturalem oblivionem, & inadvertentiam non minus est fortuitus ille casus in foro conscientiae, quam si periisset incendio, vel inundatione &c. ergo neque pro isto casu volunt se obligare in foro conscientiae.

103 Ad 2. Q. R. Florianum, per se loquendo, obligatum esse ad damnum Flaviano resarciendum. Ratio colligitur ex dictis; quia depositarius circa res depositas tenetur adhibere eam diligentiam, quam adhibet in curandis rebus propriis, quam si non adhibeat, censetur committere gravem negligentiam, & culpam latam in deposito custodiendo: atqui Florianus talem diligentiam non adhibuit in deposito custodiendo, cum pecunias proprias in arca benè clausa repositas custodiverit, deposito in cubiculo relicto, ad quod aditus famulis subinde patebat, & occasio facilis esse poterat ad furtum committendum; ergo reus erit culpabilis gravis negligentiae, & culpæ latæ. Dixi per se loquendo; nam si certò sciret, se nullam negligentiam coram Deo culpabi-

lem, & theologiam admisisse; posset in foro conscientiae se accommodare sententiæ suprâ relatae. In foro tamen externo quoties culpa lata est, & dolus præsumitur, ea præsumptione stante, depositarius condemnatur, juxta c. *bona fides* &c.

Ad 3. Q. cum cista deposita restituenda est, & qui illam deposuit, 104
asserit, aliquid in ea amissum esse, videndum est, an cista restituatur clausa & obsignata, sicut erat ab initio, cum ea in custodiam tradita est, ita ut nullum signum aperi-
tionis appareat, nec quidquam aliud in contrarium mutatum deprehendatur, an verò reserata restituatur, aut signa aliqua mutata appareant &c. si primum contingat, tunc deponenti incumbit obligatio probandi, talem rem fuisse in cista, & ex dolo, vel culpa depositarii fuisse aliquid amissum, quia dolus, & culpa non præsumuntur, nisi probentur. Si verò cista reserata reddatur, cum prius fuerit clausa & obsignata, vel aliquid appareat fuisse mutatum, v. g. sigillum non fragile &c. tunc cista præsumitur reserata dolo depositarii, vel ab eo, non debito modo, & cautelâ custodita; adeoque teneri ex dolo, vel culpa lata.

Quòd si Dominus pecuniam numeratam, non clausam, nec ob-
signatam alterius custodiæ com-
mittat,

mittat, censetur ipsi mutuo dare, potestatemque facere alienandi, eam negotiandi &c. arg. l. si sacculum, ff. depositi; ac proinde ex eo tempore, quo mutui, vel quasi mutui con-

tractus intervenisse censetur, dominium, atque adeo ipsum etiam rei periculum ad depositarium spectet.

CASUS XVII.

De mutuo dato cum præscentia valoris augendi, & minuendi.

Barillus cujusdam Principis Consiliarius sciens ex mandato Principis pauplo post valorem monetarum aurearum auctum iri; argentearum vero minuendum, Donato mutuum petenti dat centum aureos; Dagoberto vero centum fl. ea conditione, ut post annum uterque reddat tantum, quantum accepit, nulla facta mentione de valore monetarum augendo, & minuendo, eo quod hoc secretum à Principe sibi communicatum revelare non possit,

QUÆR. I. An Barillus sciens postea esse minuendum valorem pecuniarum argentearum possit licite Dagoberto mutuos dare centum illos florenos, ut eos sibi restituat juxta valorem, & æstimationem, quam habebant tempore mutationis, non monito Dagoberto de variatione pretii futura?

QUÆR. II. An Donatus teneatur reddere centum aureos in specie, cum post auctum aureorum valorem restituendum est mutuum, an vero satisfaciat reddendo æqualem valorem?

QUÆR. III. An licitum sit aliquid accipere ultra sortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. ante annum &c.

105 **A**D I. Q. negativè respondent Salas dub. 25. n. 3. arbitantes talem contractum usurarium fore, nisi mutuans ante diminutionem valoris

Azor 3. p. l. 5. c. 7. q. 9. A. bulens, Gabr. aliique apud R. P. Leonardelli Soc. Jesu, P